



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**De Vita & Rebus gestis P. Petri Canisii, De Societate Jesv,
Commentarii**

Sacchini, Francesco

Ingolstadii, 1616

Virginatatem vouet anno atatis XIX.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41515

ne naturæ teneræ hominum mentes excipiuntur. Reuersus aliquando in patriam, vt ætatis feruor accesserat, & aberat fida Præceptoris custodia, paullatim videbatur ad laxiora vergere: & parentes, atque cognati, quo clariora videbant rerum magnarum semina, & maiora futuræ claritatis exordia, cùm præsertim ille stirpis maximus esset, hoc magis ea cōuertere ad humana domus incremen- ta studebant. Hæc enim in plerisque mortalium prauitas viget, vt ingeniorum præstantissima quæque, ad cœlum suo quasi nutu euolantia pro sor- dido quæstu, vel inani splendoris umbra affligere conentur humili, terræque cæno immergere. Sed ex mora productiore quiddam subueritus sagax præceptor, tempestiuè Nouiomagum aduolauit, confirmauitque ita nobilem cœlestis sapientiæ candidatum, vt is & nuptiis, quas optima condi- tione, & Ecclesiasticis honoribus, quos opimos obtrudebant, remisso nuncio, Coloniamque ex templo reuersus, totam ad Deum curam transferret. In ea cura perseverans, continenterque profi- ciens ad ætatis annum vnde uigesimū venit. Quo anno ipsa beato Mattheiæ Apostolo sacra luce & perpetuam Deo castimoniam cuius ad eam diem illi-

*Nuptias, &
bonores Ec-
clesiasticos
repudiavit.*

*Virginitatē
vouet anno
ætatis 19.*

illibatum florem conseruarat, illibatumq; deinceps ad extremum usque retinuit, & tandem auctoritatem in coelum, religione voti dedicauit: & Philosophiae spatiis magna nominis sui celebritate in Collegio Montano decursis, in eodem supraemadonatus est laurea. Ad ius deinde Ciuile, ac Pontificium cognoscendum, quam viam ipse institerat, ut eadem per vestigia duceret, admouebat, & compellebat Iacobus Pater; ut aliquandiu institutionibus Imperatoriis Coloniæ, Pontificiis vero Louanijs Petrus nauarit operam.

Sed sacer animus ad diuinam sapientiam totto ingenij, ac voluntatis impetu ferebatur; eamque potissimum, quæ non modò rapit ad sublimia, diuinisque luminibus illustrat mentem, sed etiam augustos interardores inflammat: quam virtuti demonstratum est, Eschius præcipue profitebatur. Huius ardens sapientiæ studio, si quos usquam audiret in ea præstantes, ad eos vel ex longinquo adire, sermones ut coram conferret, non dubitabat. Aliquot ancillas Christi, quarum sanctitas celebrabatur, in variis cœnobiis, oppidis, prouinciis que conuenit: sanctisq; eorum colloquiis, ac monitis multum proficiebat. Harum è numero fuit

C 3 quæ-